

Heinrich Rudolph Redecker

**Rector Academiae Rostochiensis Heinricus Rudolphus Redecker/ IC. Professor:  
Publ. ... Ad exequias, quae Viro ... Dn. Hans Otto de Hüldersen/ S. R. Mai. Dan.  
Venatori supremo Hodie hora proma, in aede Mariana, parabuntur, Omnes  
Academiae Cives ... invitat : [Dabam sub Sig. Rect. 13. Octobr. anno 1675.]**

Rostochii: Kilius, [1675]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771563582>

Druck    Freier  Zugang



Redeker, H R.,  
in H. O. de Hüldersen.

Rost. 1675.

24.







RECTOR  
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS  
**HEINRICUS RU-**  
**DOLPHUS Redeker/**  
JC. Professor: Publ. & Fac.

suæ Decanus,

Ad exequias,

V I R O

PRÆNOBILI ET STRENUO

**DN. Hans Otto**

de Gulderson/


S.R.Maj. Dan. Venatori supremo

Hodiè horâ primâ, in æde Marianâ,  
parabuntur,

Omnes Academiæ Cives, ea,  
quâ par est, humanitate invitat.



ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typ.



Salutem !



Risca gens Romanorum,  
quā armorum gloriā reliqvis,  
pene dixero, mortalibus pal-  
mam præripuit, eodem le-  
gum & morum studio, bene  
de Republicā meritos, præmiis,  
honoribus, & triumphis deco-  
ravit. Et uti reliqua scitè, ita  
hoc prudenter Romani conſi-  
tuerunt, ut, justo cum discri-  
mine, non tantum superstites suis meritis extollerentur,  
sed &, ubi in humanis esse desiſſent, cuique, pro inde-  
ptæ dignitatis gradu, funus duceretur, & exequiarum  
ſolennia ſolverentur. Nec magnis & inlustrissimis belli  
Imperatoribus tantum id dari consuevit, ut, ab obitu  
eorum, res ab illis præclarè gestæ, victoriae atq; triumphi,  
quibus vitam insigniverunt, celebrentur atque comme-  
morentur: sed iis etiam, qui in mitioribus disciplinis in-  
ſignia virtutis vel artis honestioris documenta dede-  
runt, *indictivas* esse voluerunt *exequias*, ad quas hone-  
ſtandas, ut homines convenienter, publicā præconis voce,  
populus Romanus vocabatur; cujus ſolennitatis verba  
erant: **ILLE QUIRIS LETHO DATUS EST. EXE-**  
**QUIAS,**

QUIAS, CUI COMMODUM EST, IRE JAM TEM-  
PUS EST. Obscurorum enim, & qui de plebe erant,  
hominum funera sine illâ publicâ convocatione ac  
solemnitate facta sunt. Ceterum *Indictivum funus ex vo-*  
*luntate Sereniss.* & [Potentissimi Daniae & Norvegiae Regis,  
Dominii nostri clementissimi,] Vobis, Cives honoratissimi, indi-  
cere hodiè cogor. Meruit autem illud *Vir Pranobilis* &  
*Strenuus Dominus HANS OTTO de Hûldersen / S. R. Maj.*  
*Venator supremus,* & ob singularem fidem atque operam inde-  
fessam, minister gratus. Natus vero Ille est, & nudus, quæ  
misera omnium hominum conditio est, in hanc terram  
ejectus, anno Epochæ Christianæ 1631, & quidem Egstor-  
pii in Ducatu Calenbergenſi, Parentibus honestissimis;  
Patre Viro Strenuo ERICO DANIELE de Hûldersen /  
Sereniss. Ducis Brunovicensis & Lyneburgensis foresti  
Magistro fidelissimo; Matre autem fæminâ lectissimâ  
*ANNA CLAUDI*, quæ hue dum, per Dei gratiam, super-  
stes, dubio procul, lacrimis acerbis insperatum filii obi-  
tum, quem tristissimus nuncius attulit, dolenter fert.  
Ab hisce parentibus non abjectam sed generosam desun-  
ctus noster traxit indolem, quam providi ejus parentes  
solertissimâ curâ & culturâ, à primis ætatis annis, ita-  
exercuerunt & luscitari curarunt, ut lubrica ætas & ju-  
venilis animus, qui alioquin cereus in vitium flectitur,  
& ad quamvis libidinem mobilis & promptus est, pietate,  
& bonis moribus, imbueretur, nec minus duris labo-  
ribus, quos hujuscemodi officia, ad quæ ille destinabat-  
tur, requirunt, adsuesceret. Adolescens itaque tantâ  
cum industriâ venatoriam artem, cuius semina cum lacte  
quasi materno inbibit, amplexus est, ut nullum aliud vi-  
tae genus, in quo dotes animi & corporis exercebat, eli-  
geret.

geret. Nec enim illa vivendi ratio inter sequiora humanae vitae officia, sed inter exercitationes viriles, uti Albertus Romanorum Imperator venationem vocabat, referri debet, cum in se nihil peccari, sacro etiam Cordice teste, habeat. Siquidem ipse Patriarcha Jacob, cibis ex venatione allatis, delectabatur, *Gen. 25.* & primus omnium Legislator venationi & aucupio certos præfinivit terminos *Lev. 17*. Salomon etiam, inter omnes Reges sapientissimus, præter diurnos boum frugumque reditus, ex capturâ cervorum, aliarumque ferarum, regiam suam familiam sustentavit. Nec alio fine Creator rerum sylvarum & nemorum fructus & culinarum delicias humano generi concessit, quam ut victui & amictui hominum succurrant. Quemadmodum itaque divitiae, & quæcunque præterea mortalium sustentationi inserviunt, iis duntaxat in vitium vertunt, qui animum in iis figunt, & quasi salutis asylum reponunt, ita venationis studium, tunc demum in Hagitium abit, si cultores ejus, dulcedine venandi inescati, tantam perquirendis & capiendis feris adhibuerint curam operamq;; ut officii, alias debiti, munia negligant, & quasi efferati, honestatem pietatemq; omnem exuant, adeoque, abjectâ humanitate, ipsi feræ efficiantur, morumque prodigiosa perversitate, tanquam Actæon mutentur in belugas. Nam ipsum venationis studium, honestis legibus definitum, ex judicio consilii Aurelianensis, simpliciter vocatur *voluptas c. 1. ubi Gl. extr. de cler. venat.* cuius exercitio magniterra Monarchæ atq; Principes oppidò delectantur; non quidem illum præprimis ob causam, ut rei suæ familiari prospiciant, sed potius ut corpus robustius & animus fortior efficiatur; utrūq; autem, ad bellicos labores, diligentius exerceatur,

Siqui-

Siquidem ipsa venatio ritè rectèque formata rerum bellicarum verissima meditatio est, in quâ Rex ipse Ducis, Comites autem reliqui, quibus parendi gloria relicta est, canesq; militis officio funguntur: Consvesfacit n. ad surgendum diluculo, & ad frigora caloresq; perferendum: præterea sagittis jaculisque bestiam sæpe petere necesse est: Nec minus ingenium acuit, dum vel latentibeluæ fraudes struuntur, vel occurrenti tela intenduntur, vel cum furore irruenti, mature cavetur. Hanc itaque exercitationem Cyrus Persarum Rex, teste Xenophonte, rerum bellicarum esse omnino optimam, equestrium autem verissimam, ratus est. Et Lycurgus, magnus Lacedæmoniorum Legislator, non solum adolescentes, *inquit*, sed grandiores etiam natu militiæ labores venando tolerare discunt. *Carolus cognomine Magnus*, Imperator Augustissimus, venationis adeo dicitur studiosus fuisse, ut eam, tanquam rem saluberrimam & sanitati perutillem, etiam senex, haud negligeret, neque nives aut calores, saltus aut montes, vel quamvis tempestatem exhorresceret graviorem. *Henricus I.* ita deditus fuit venationi & aucupio, ut in ipsâ venatione insignia Imperialia, post mortem *Conradi I.* admiserit, & inde *Auceps* dictus sit. Maximilianus I, venandi amore ita captus est, ut frigora & astum juxta poneret, ac sæpius vitæ discrimen subiret. Nec sine ratione Poetæ Dianam fingunt perpetuo venandi studio occupatam, ut doceant, laborem esse amoris & libidinum dominorem. Cum itaq; Defunctus noster in juventute intelligeret, venandi peritiam terrarū Dominis ut plurimum esse gratam, studiumq; illud durissimilicet laboris suo non destitui precio, eò alacrius id negotii dedit, ut tandem venatoris industriae pariter & periti

& periti partes expleret. Neque frustra honesto huic ac nobili artificio operam industriadve impendit suam : Postquam enim Serenissimo Principi ac Domino DN. GEORGIO GUILHELMO Duci Brunovicensi ac Lyneburgensi, Domino nostro Clementissimo defuncti nostri honesta indoles & promptum venandi studium innovuit, eum peritissimis venatoribus informandum mandavit. Sub illo rum autem disciplinâ & institutione tantum profecit, ut non tantum Serenissimo suo Principi placeret, sed & Potentissimo Daniæ & Norvvegiaæ Monarchæ, Domino nostro clementissimo se ipsum, propter singularē venandi peritiam, & duros, quibus ad severat, labores, commendaret. Ideoque, impletatâ honestâ dimissione, in Daniam se contulit & venatoris partes, sibi à S. R. Majestate clementissimè demandatas, per quinquennium tam gnaviter sustinuit, ut tandem in illo collegio supremum ex merito locum obtineret. Ut enim Potentissimus Rex Noster inter pacis decora, venandi studium, præcepta Xenophontis secutus, optimum ac saluberrimum reputavit exercitium, quo corpus pariter & animum ad quævis bellica formaret, tali etiam opus habuit ministro, qui pariter equitare, currere, atroces feras insequi, & excipere, æstum & frigus perferre, sæpe etiam famem, in seram usque noctem, pati posset. Nec unquam, vel in labore, vel in periculis, quæ plurimum in venatione obveniunt, fidissimus hic minister Regem sibi benignissimè faventem deseruit. Magnanimus si quidem hic Princeps, animi virtute, & corporis viribus præcellens, orium & desidiam perinde ac rem pestiferam damnavit semper, & corporibus nocivam reputavit, & ita, cum Pelopidâ Tbebano, primam militiae institutionem atque disciplinam à venationis meditatione cœpit, in quæ hujus

hujus Ministri fidem, atque promptitudinem, saepius expertus est. Proinde bellum, pro publicâ salutē, suscep-  
tus, eundem admisit comitem, qui, in omnem fortunam paratus, devotissimo obsequio Heroem suum secutus, nihil magis in votis habuit, quam ut animi fortitudinem, periculis & laboribus infractam, optimo Imperatori explicare posset. Ast, quæ est rerum humanarum imbecillitas & inconstantia! ita prohdolor! comparatæ res hominum sunt, ut nihil stabile, nihilve sincerum promittant. Nihil enim quicquam magis variat, aut minus votis humanis responderet, quā quæ, in spem prosperi successus, homo præsumpsit. Illo mortales omnes ineptiarum studio ducimur, ut mentem & affectum nostrū futuris bonis oblectem⁹, & ita gaudia capiamus, antequā expectata possideantur. Vix cum Potentissimo suo Rege Provinciā hanc ingresso pie defuncto, dum meditabatur, quomodo hostis, feræ instar, provocandus, exploratores, ceu canes venatici, disponendi, per saltus & arva levioris armaturæ milites præmittendi, prælio vel receptui canendū, hostis vel aperto campo, vel per insidias & cuniculos adoriund⁹, ultimus vitæ terminus destinata abrumpit. Morbū enim, qui præter spem omnem corpus alioquin validum fatigavit, nec naturæ robur, nec medicinæ adhibitæ virt⁹, prout Medicus Experientiss. DN.D. JOHANNES BACMEISTERUS, PP. Collega & Compater noster venerandus id testatur, potuit expellere. Quam belle verèque Aphoristæ lib. 6. Apb 16. Pulmonum inflammatione conflictato succedens alvi profluvium malum pronunciarit, non solum saepius aetac, sed & nunc in jam piè defuncto DN. HANS OTTEM/ Potentissimi Dania ac Norwegia Regis Venatore primario expertus sum. Vocatus quippe ad illum XX. Septembr.  
die,

die, Peripneumonia, que comitem habebat Febrem continuam-  
cum Diarrhaeà satis gravi, illum laborare animadvertis, &a-  
timque ab initio malum inde desumpsisse signum, quod Diarrhea  
superveniens sputum suppressineret. Sola etenim atque eutissima  
via huic morbo rectè terminando merito à Medicis censetur spu-  
ti ejus. Administrata quidem pro sanguinis astuantiis edu-  
ctione vene sectio, adhibitaque medicamenta satis appropria-  
ta, que etiam in tantum profuisse visa sunt, ut paulatim me-  
lius habere inceperit & quasi convalescere: Verum exiguis  
saltem inductis induciis, morbus sequente statim die recruduit,  
maximèque Symptomatum catervâ stipatus, vigiliis puta-  
continuis, siti implacabili, deliriò, quod nec sponste exorta ha-  
morrhagia narium mitigabant ullatenus, anxium reddidit  
agrū fruendi imposterum Potentissimi Regis aspectu, quem  
submississimā cum reverentiā habebat Clementissimum. Ex-  
haustis itaque morbi sevitia Viribus, spes omnis convalescendi  
decollabat, & huic longiore vitā digno viro frustra adhibitis con-  
silio nostro remedius specificis quamvis atq; selectissimis vita-  
finem 16: post accessum meum die circa sextam vespertinam im-  
ponebat. Cum itaq; vim morbi & mortis sentiret, cervi in-  
star fugientis, ad fontem Israelis se convertit, & rejectā in  
Salvatorem spe omni atque fiduciā, præterito die Jovis,  
qui erat octavus dies hujus mensis, placidā & piā morte  
objit. Quoniam autem hodiè, ad Mandatum Sac. Reg. Maje-  
stat: Dan. circa horam primam, corpus exanime terræ ma-  
tri, in templo Mariano, est reddendum; Nostrum erit,  
Cives honoratissimi, erga S. R. M. devotissimum cultum,  
erga pie defunctum honorem, erga bonos omnes huma-  
nitatem ostendere, adeoque funus hoc indistivum,  
ad quod vos pariter omnes amicè compello,  
frequenti congressu comitari.

Dabam sub Sig. Rect. 13. Octobr.  
anno 1675.










hujus Ministri fidem, atque promptitud-  
pertus est. Proinde bellum, pro publica-  
rus, eundem admisit comitem, qui, in o-  
paratus, devotissimo obsequio Heroe-  
nihil magis in votis habuit, quam u-  
nem, periculis & laboribus infractam,  
tori explicare posset. Ast, quæ est re-  
imbecillitas & inconstantia! ita proh d-  
res hominum sunt, ut nihil stabile, nihil  
mittant. Nihil enim quicquam magis  
votis humanis responderet, quā quæ, in si-  
cessus, homo præsumisit. Illo mortales  
studio ducimur, ut mentem & affectum n-  
nis oblectem⁹, & ita gaudia capiamus, at  
possideantur. Vix cum Potentissimo suo  
hanc ingresso pie defuncto, dum medita-  
hostis, feræ instar, provocandus, explor-  
venatici, disponendi, per saltus & arvale  
milites præmittendi, prælio vel recepti-  
vel aperto campo, vel per insidias & cuni-  
ultimus vitæ terminus destinata abrum  
qui præterspem omnem corpus alioqui-  
vit, nec naturæ robur, nec medicinæ adh-  
Medicus Experientiss. DN.D. JOHANN  
STERUS, PP. Collega & Compater noſt-  
testatur, pótuit expellere. Quam belle  
lib. 6. Apb 16. Pulmonum inflammatione co-  
alvi profluvium malum pronunciarit, no-  
tehac, sed & nunc in jam piè defuncto DN.  
DEIN / Potentissimi Daniae ac Norwegiae R-  
mario expertus sum. Vocatus quippe ad ill-



us ex-  
ceptu-  
unam  
utus,  
tudi-  
pera-  
arum  
aratæ  
pro-  
minus  
is suc-  
arum  
is bo-  
ctata  
inciā  
nodo  
canes  
turæ  
hostis  
nd⁹,  
nim,  
tiga-  
roue  
ME l-  
us id  
ristes  
edens  
us an-  
DE  
e pri-  
embr.  
die,